



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Constantinus n. 11

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

attentaret. Sic apud P. Fran. Aguado Tomo suarum exhortationum, exhortat. 34. §. 3.

9. A MARCO ANTONIO ARNALDO *Elisabethæ sensum egregie in summam Societatis laudem confirmante. Societas (inquit) probata est in Hispania videturque nata ad Imperium Hispanorum promouendum: vocant Regem Philippum, Maximam Potentiam, Murum, & Antemurale Domus Dei: eorum dictum est, vnus Deus, vnus Papa, vnus Rex Christianismi, Magnus Rex Catholicus, & vniuersalis Rex Hispaniæ: omnia eorum acta, omnes eorum cogitationes eò spectant, vt Regem Hispaniarum Europæ Monarcham constituant. Hec ille, de quibus non parum nos, qui Hispani sumus gloriamur. Ita ibidem.*

*Societas
Nata ad
illius Im-
perium pro-
mouendū.*

10. A DAVIDE PERÆO *Caluinista in orat. de strephis Iesuitarum, vbi suos contra Nostros excitat dicens: Nunc communia arma, signa, & acies excitandæ sunt in Antichristum Romanum, eiusque Primipilares Iesuitas, qui ante fores commune exitium omnibus Ecclesijs reformatis machinantur. Ita apud P. Henricum Fitzimon in sua Britono-machia ministrorum in Proæmio ad lectorem pag. 17. Haud parum Hereticus Iesuitas extollit, cum illos Romani Pontificis Primipilares constituit.*

*Iesuita
Pontificis
Romani
Primipila-
res.*

11. A CONSTANTINO *Canonico Hispalensi occulto Heretico, cui venit in mentem Sociorum mores interiorius explorare. Quod, ni fallor, voluit Deus vt testimonium innocentie nostræ ab ipsomet inimico exprimeret. Namque submissi exploratores postquam intem-
tis auribus, oculisque obseruauerant omnia, cum referrent, deprehendisse se homines proximorum saluti cupidos, orationi deditos, procul à
fæminarum commercio, interfatus hic Constantinus, Hactenus (inquit) fat est. Si dediti orationi sunt, & à mulieribus cauent, perseveraturos ne dubita. Sic ille Par. 2. Hist. Sœc. lib. 2. num. 128.*

*Eorum
oratio &
Castitas
commen-
dantur.*

12. AB HILDESHEMIO *Luterano, vel coram ipso suo Prædicante, asserente, Iesuitarum dictione se ad pietatem moueri*

*Et locutio
mouens ad
pietatem.*